ANT. OLIBANI

CIVIS HONORATI BARCINONAE

IN ALTO CONSILIO REGII [illegible]

ſenatoris, ac fiſci patroni,

COMMENTARIORVM DE ACTIONIBVS [illegible] IN SVMMAS

partes, concinnè diſtributorum; quarum altera ad iuris artem, cognitionem, & ſcientiam, quae vulgò theorica dici ſolet; altera ad vſum, & exercitationem, ſtrepitúmq. forenſem, ſiue ad praxim pertinet,

PARS PRIMA IN TRES DISTINCTA LIBROS.

IN QVIBVS AGITVR DE PRINCIPIIS, DEFINITIONE, PROGRESSV, cauſsis, formulis, ac libellis actionum, déq. illarum ſede, & neceſſaria cognitione; Ac de duabus interpretationibus tituli Iuſtiniani de actionibus attinente priore ad ius ciuile Romanorum, poſteriore ad ius Cathalonicum.

QVAE INTERPRETATIONES [illegible] IVRA HVIVS Prouinciae cum iuribus communibus Romanorum ſunt valdè vtiles, & neceſſariae ad legum, & conſtitutionum Cathaloniae, vſaticorúmq. Barcinonenſium intelligentiam, & iudiciorum diſceptationem: ex quibus varii iurium patriae intellectus, & Regii concilii obſeruationes elucescunt.

AD ILLVSTRISSIMVM D. D. [illegible]

regii Aragonum concilii Vicecancellarium meritiſsimum. &c.



BIBLIOTECA UNIVERSITARIA SALAMANCA

CVM LICENTIA ORDINARII.

Barcinonae apud Gabrielem Graellium, & Gerardum Dotilium. Anno M. DC. VI.

ILLVSTRISSIMO D. D. DIDACO A COVARRVVIIS, VTRIVSQVE IVRIS coryphaeo, omnium laudandarum artium antiſtiti, & in ſupremo regio Aragonum concilio Vice-cancellario meritiſsimo &c.

Hugo Montanerius V. I. Doctor, & domicellus S.

QVANDO doctiſsimus Antonius Olibanus, huius lucis vſuram amiſit, ſummúmq. obiuit diem, quantum moeroris & anguſtiae (Illuſtriſsime vir) illius interitus diuini, & humani iuris, ac ingenuarum artium profeſſoribus pepererit; ex eo intelligi poteſt, quòd conceptae ex ea re triſtitiae vis, non ſolùm non, vicinis eruditiſsimorum doctorum liminibus ſe continuit, ſed etiam ad remotiſsima doctiſsimorum virorum Muſaea & Mineruia admirabili celeritate penetrauit. Omnes námq. propter illius obitum exiſtimabant, varias iuris lucubrationes, quas ſummo ſtudio, ſummáq. diligentia, non ſolùm ad dupondiorum ſeu nouorum Iuſtinianorum, ſed etiam ad prolytarum, & doctorum vtilitatem conſcripſerat, in abditis obliuionis antris penè ſepultas, maximo rei literariae diſpendio, permanſuras. In qua moeſtitia ne perſeuerarent, ſed ab ea prorſus auocarentur, & propter incredibilem in eundem Olibanum amorem, illius gener, ac frater meus chariſsimus Hippolytus Montanerius ex dictis lucubrationibus hos non inutiles, ſed apprimè neceſſarios de actionibus commentarios ſelegit, ſelectos elimauit, elimatos perpoliuit, perpolitos nonnullis additionibus exornauit, & exornatos ac ſuis numeris abſolutos, typographo excudendos tradidit. Et cum grauiſsimis diſtentus negotiis eſſet, & aliarum rerum curis oppreſſus à me, non ſolùm petiit, vt errores, qui in illos calcographi incuria ſubrepſerint corrigerem: ſed etiam mihi, omnem typographiae rem & cauſſam, etſi onus AEtna grauius, & meis humeris impar, ita commendauit ac tradidit, vt arbitratu meo, cuncta moderarer ac regerem. Quod onus, quamuis forenſibus & aliis litterariis negotiis occupatus, ſuſcepi, vt fratri meo amantiſsimo, cui honeſtè refragari non poteram, morem gererem: in dictiſq. libris corrigendis, & vindicandis ab erroribus, qui impreſſorum inſcitia irrepſerant, diuturnos & nocturnos exantlaui labores: & vt omnia debito fine terminarentur, remis veliſq. contendi. Quorum prima parte, & primo ſecundae partis libro, iam praelo commiſſis, vtriuſq. iuris, & bonarum litterarum cultores Terpſichori litantes, omnem triſtitiam in laetitiam cõuerterunt, & prae gaudio geſtientes, crebris efflagitationibus dictos libros excuſſos, dum reliqui typis mandantur, edere & in lucem proferre coëgerunt. Cúmq. de patrono, ſub cuius apparerent nomine cogitarem, ad eámq. rem viri alicuius primarii gratiam mihi ineundam putarem, cuius auſpiciis tutò manus legentium percurrere poſsint; tu ſolus ex omnibus (Illuſtriſsime vir) mihi in mentem veniſti (veniſti autem ſaepiſsimè) quo auctore ac duce non pertimeſcant, ſed deſpicatui ducant peſtiferos Zoilorum, ac detractorum morſus, qui inuidiae veneno ſuffuſi, eos dente Theonino rodere, & aperto Marte oppugnare tentabunt. Eos autem vt tibi dicarem, tuóq. vrbi & orbi notiſsimo nomini inſcriberem, multis iiſq. grauiſsimis ſum adductus rationibus. Cui enim meliùs, hi commentarii poſthumi relicti conſecrari poſſunt, quàm ei, qui illorum patrem & auctorem, amore non fucato, nec ſimu-

ANTO. OLIBANI CIVIS HONORATI BARCIN. IN ALBO CONSCRIPTI, & Regij Senatoris, ac ſiſci Patroni, ad Lectorem.

PRÆFATIO.

1. ETSI † vereor, Lector beneuole, ne meus hic labor, & hoc ſtudium, in quo per duodecim annos, & amplius in colligendis actionibus iuris ciuilis, horis ſubciſiuis, & quas potui ſuffurari ex forenſibus negotijs, & munere iudicandi euigilaui, in varias incidat doctorum hominum reprehenſiones: tamen honeſti laboris, & bonæ mentis, ac recti conſilij ratio tantum ſemper valuit apud omnes, qui de aliorum ſtudijs, & literarijs vigilijs bene ſentiũt, vt bonarum diſciplinarum ſtudioſi hac ſola ſæpe recreati, obtrectationes, laborum ſuorum, & vigiliarum ex animo depulerint, penituſq. deiecerint. Etenim non ignorabam, quod etiam nũc venit in mentem, cum animum ad hoc ſtudium appuli, in quo meliorem ætatem conſumpſi, futurum, vt pleriq. arbitrarentur laborem hunc infructuoſum eſſe; inane & ſuperuacaneum